



Praxis Avrea Qvotidianarvm Rervm Ecclesiastici Fori

In qua Variæ Iuridicæ Resolutiones ex approbatis traditionibus Doctorum,
atque diuersorum Tribunalium, præsertim Rotæ Romanæ, Decisionibus,
excerptæ, continentur; Opvs Qvatvor Partibvs Distinctvm

Continens Tertiam, & Quartam Partem: Quibus, hac nostra editione ab
innumeris mendis repurgata ...

Riccio, Giovanni Luigi

Venetiis, M.DC.LXXIV.

Praxis Variarvm Beneficialivm.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98599](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98599)

ro anime licitum est vnicuique sibi succurrere, & subuenire de alieno penitus, nec ob hoc dicitur peccare, vt habetur in d.c. sicut his, & in d.c. non satis, & not. glos. & Abb. in c. si quis de furtis, ergo licitum erit sibi subuenire de suo proprio, quamuis alteri sibi debitor, & consequenter in foro conscientie non tenebitur ad integram satisfactionem si post eam remanet pauper, & inops, nec habet unde se alere possit.

Quarto nam, quod operatur cessio bonorum quo ad forum contentiosum operatur inopia & difficultas, quoad forum anime, nam facta cessione in foro contentioso non potest quis cogi ad integram solutionem l. i. C. qui bonis cedere possit, & notant DD. in d.c. Odoardus, & in d.c. 2. de pignor. nulla vero facta cessione si quis sit inops, & sit non soluendo in foro anime, ex sola inopia excusatur perinde ac si cessisset bonis, vt in cap. super eo de raptor c. sicut dignum §. eos de homic. quinimo inopia simplex quoad forum anime plus operatur, & magis releuat, quam cessio bonorum quoad forum contentiosum, quoniam si quis sit factus inops etiam dolo, & culpa sua, non tenetur infolidum, nec ad integram satisfactionem dicto cap. si res cum ibi notatis 14. quæst. 6. sed si cessit bonis ex eo quod dolo, & fraude sua factus sit non soluendo conueniri potest in foro contentioso, & quo ad bona acquisita post cessionem infolidum, & vsque ad peram, & sacculum, vt voluit glos. communiter approbata in l. si. in fin. de his quæ in fraud. cred. sed si quis cessit bonis post cessionem non potest conueniri in foro contentioso, nisi in quantum facere potest d. l. qui bonis cum simil. ergo propter inopiam simplicem, & difficultatem solam soluendi in foro conscientie non debet compelli infolidum ad integram solutionem, sed in quantum facere potest deducto ne egeat.

Quibus fundamentis fretus August. Bero, in d. cap. cum tu n. 39. hanc opinionem sequitur tanquæ equitatem, & pietatem continentem, & ad rationes supra adductas ex mente Abb. figillatim respondet, & primo ad illam, nempe vsurarium non debere viuere de alieno argumento cap. forte cum simil. 14. q. 5. respondendum ait, illud esse verum regulariter, quando quis haberet de suis, sed quando nec habet de suo, nec aliunde potest habere alimenta, tunc etiam de alieno licitum est viuere, vt in dicto c. sicut hi iuncta glos. in dicto capite si quis de furtis. Secundo ad eandem rationem ita responderi posse ait, quod quatenus se extendit necessitas, & indigentia, qui viuunt de alieno non dicitur de alieno viuere, sed de proprio seu communi, quia tempore necessitatis omnia sunt communia vt supra dixi. Tercio ita responderi posse inquit, quod in casu nostro vsurarius diceretur viuere de proprio suo, non verò de alieno, quoniam vsuræ sunt ipsius vsurarii, & illarum dicitur dominus, vt supra dixi, & probat glos. in c. si quis vsuram 14. q. 4. licet diceretur sunt ipsius vsurarii, sed sunt alteri debitor, & subiacent restitutioni c. debitores de iur. iurand. cum simil. responderi poteritis, quod non: ex hoc inferitur quod sint irregulariter soluenda vsque ad peram, & sacculum, sed quantum vsurarius facere poterit, sufficit eas restituere deducto ne egeat, & deductis alimentis quotidianis, vt probatur arg. tex. in l. qui bonis ff. de cels. bon. cum simil. sup. cit. præcipue cum, & si alteri sint debitor, possint etiam dici debitor ipsi vsurario pro alimentis quotidianis ob ordinatam charitatem de qua in d. l. præses. cum glos. C. de seruit. & acqua, & d. c. non satis 86. dist. & ita hanc sententiam, & opinionem Beroi quidquid dicat Abb. verriorem iudico ex rationibus, & iuribus pro ea deductis, licet pro vtriusque concordia quadam dist. vtratur Bero. ibi n. 4. quam ibi videas.

Mois. Ricc. Prax. Pars III.

PRAXIS VARIARVM BENEFICIALIVM.

RESOLVT. CCCCLXXIV.

- 1 Potest quis duplici officio fungi, quando officia se inuicem compatiuntur exercitiumque vnius alteri non contradicit.
- 2 Qui est simul Archidiaconus, & Canonicus, habet duplicem vocem in Capitulo.
- 3 Gerens vices plurium officialium meretur salaria plurium.
- 4 Vnus miles non potest sibi plurium stipendia vendicare.
- 5 Distributiones debentur ob personalem presentiam in diuinis.
- 6 Magis est credendum dignioribus, quamuis sint minores numero, quam maioribus numero, non tamen ita dignis.
- 7 Non valet consuetudo quod quis percipiat plures distributiones quotidianas in eadem Ecclesia.
- 8 Appellatione fructuum non veniunt distributiones.
- 9 Papa potest dispensare vt quis obtineat duplices distributiones in Ecclesia.

An dispensatus vt possit obtinere in eadem Ecclesia duo beneficia si præfens sit diuinis officijs, consequi debeat duplices quotidianas distributiones, an verò simplices.

O viros Ecclesiasticos proposita quæstio in dubiū reuocari solet, quam disputat Federicus de Senis reatus a Panor. in capit. cum olim ex numero 2. de sent. & re iud. a Philip. Franc. in cap. vnico de Cler. non resident. in 6. qui censet, quod duobus iuribus concurrentibus in eadem persona debet vti duplici voce, & recipere duplicem portionem, cui etiam opinioni se subscriperunt Felyn. in dicto cap. cum olim, & Ioan. Ocon. in repet. cap. vnic. de Cler. non residentibus in 6. n. 15. & Vinius lib. 1. commun. opi. pag. 16. verū. Archidiaconus, vbi eam appellat magis communem, & idem fatentur Alph. Hoied. de benef. 1. p. c. 12. ex n. 15. & Couarr. lib. 3. var. c. 13. n. 6. qui plures DD. pro hac opin. recenset, & eam seruari in praxi in Regno Franciæ affirmat Rebuff. praxi 2. par. de dispens. rat. etat. verū. in Chatedralibus ad ff. pag. 391. subdens, quod alioqui nihil ei prodesset habere beneficia; pro qua quidem opinione facit optimus tex. vt inquit Bald. conf. 344. volum. 5. in l. Titia §. qui Marco ff. de ann. leg. vbi deciditur, quod si legantur libertis annua alimenta, & Marco centum, debebuntur Marco annua alimenta, & simul centum si libertus is sit, nec mirum quidem, nam potest quis officio duplici fungi, quando officia se inuicem compatiuntur, exercitiumque vnius alteri non contradicit, aut repugnat, vel alterius vsum non impedit, vt notat Bart. & glos. fin. in leg. si consul. ff. de adoption. l. 3. ff. de ritu nup. & in l. fistulas §. 1. ff. de contrah. emptio. & in l. quis quia Cod. de postulando, & tradunt Dec. in cap. ex literis num. 12. de probat. Hoied. & Couarr. vbi supra, asserentes id sine dubio licitum esse, præsertim si priuilegium Principis accedat, dispensatus igitur ad obtinenda duo beneficia sub eodem tecto cum debitum seruitium ministrando vni eorum seruiat, etiam alij sic dum præfens est diuinis officijs pro vno, lucrabitur similiter alterius distributiones, vnde duplices, & non simplices consequetur distributiones, quam etiam opinionem vt verriorem sequitur Zabarel. consilio 52. ob quam similiter rationem fatentur multi ex Doctoribus superius allegatis, quod qui est simul

2 Archidiaconus, & Canonicus habet duplicem V 4 vocem

vocem in capitulo, quod etiam alia allegando fate-
tur similiter Gaspar. Passarellus in Scol. Capituli Bar-
chinon. Ordinis Minorum fol. 142. pag. 2. quod intel-
ligendum esse existimo ex Felyn. in d. cap. cum olim
in prin. si quilibet eorum seorsum meretur vocem,
vnde si electio Proconsulis debet fieri per Collegium
sapientum, & per Collegium Consulium, & vnus sit
de vtroque Collegio dicunt DD. quod ille habebit
duas voces, & cum istis concordat Bald. in d. l. si con-
sul. in fi. ff. de adopt. subdens quod gerens vices plurim
3 officialium meretur salarium cuiuslibet, sicque atte-
statur similiter Fely. in d. c. cum olim, n. 2. in fi. quod
si funeralibus, in quibus debetur Cera, vel quid simile
pro qualibet qualitatibus existentium in vna perso-
na se videri duplicari.

Hæc tamen opinio, quamuis communis, & verior
à Doctoribus iudicetur; contraria tamen suas habet
rationes, & auctores, eamque toto conatu defendunt
Mich. Milis in repet. in verb. distributionis Roch. de
Curt. in cap. fin. de consecr. fol. 94. vers. 17. inferitur
Ant. de Butrio in d. cap. cum olim, quem referunt, &
sequuntur Ioan. Staphil. de Grat. expectat. in 4. form.
num. 2. fol. 12. & Lud. Gom. de expectat. num. 54. asse-
rentes quod non magis præfens est diuinis officiis
qui est simul Archidiaconus, & Canonicus, vel qui
habet duas præbendas in eadem Ecclesia, quam is qui
vnicum tantum habet canonicatum, vel præben-
dam, & ideo nulla est ratio, quare duplicatas con-
sequatur distributiones, sed sat erit, quod simplices
tantum habeat, nempe vt Archidiaconus, vel vt ca-
nonicus, vt etiam censet Cosm. in prag. Sanct. tit. de
collationibus §. item censuit in glos. in verb. dignitas
fol. 326. Tho. Zerol. in praxi Episcop. §. distribu-
tiones quotidianæ fol. 160. versic. primum dubium
est, & dicit rationem esse concludentem, quia vnus
4 miles non potest sibi plurimum stipendia vendicare c.
quia nonnulli de clericis non resident, quam opinio-
nem de iure veriore appellat Rebuff. in prax. tit. de
dispensation. ratione ætat. vers. in Cathedralibus in
fi. pagin. 391. opt. Alex. Monet. de distrib. quotidian.
par. secunda quæst. 4. ex num. 6. quæst. 11. num. 50.
ad fi. Zecchus de rebus Eccles. cap. vigesimo quarto,
versiculo sexto, si habent Couarr. libro 3. var. cap.
13. numero 6. ibi docet distributiones quotidianas,
non deberi Archidiacono, qui est Diaconus, Gra-
tianus decisio. Marchia num. 5. 6. & 7. Alex. Monet.
in tract. de distrib. par. 2. c. 4. num. 14. & 20. concl.
1. num. 12. col. 185. Azor. inst. Mor. to. 2. lib. 7. c. 7.
col. 833. vers. Decimotertio queritur an distribu-
tiones duplicatæ Ioan. Bapt. Costa in tract. de ratione
rata quæst. 106. num. 6.

Secundo id confirmatur ex eo, quia distributiones
5 quotidianæ assignantur Ecclesiasticis ob personalem
præsentiam, & interessentiam in celebrandis officiis
diuinis, vt tradunt Cassad. in decis. vnica tit. de cler.
non resident. num. 2. Cesar Grass. dec. 116. alias 5. de
præb. num. 3. Couarr. lib. 3. var. c. 13. ex prin. Gut-
tier. lib. 2. Canon. q. c. 15. ex num. 9. Spin. de testam.
in gl. 9. prin. num. 28. Alex. Monet. in d. 2. par. q. 5. n.
19. & quidem cultus diuinus tanto honorabilior est,
quanto est maior numerus Ecclesiasticarum persona-
rum in canticis iubilationum, vt pulchre aduertit
addit. ad Panorm. in d. c. cum olim num. 6. in litera
C. cum ergo pro honorando diuino cultu dentur di-
tributiones dicendum est cum cultus non sit ita ho-
norabilis ex assistentia vnus, nec qui vices plurium
gerit, ita decorat, quam sicuti si adessent duæ perso-
næ quod non debet dari, nisi vnica distributio haberi
duo beneficia sub eodem testeo.

Neque huic rationi obstat si apponatur, quod ho-
nestas, & grauitas personæ supplet interdum multi-
tudinem Personarum arg. c. in nostra de testibus ibi

tantæ præminentia fuerint, quod eorum autoritas
aliorum sit meritò multitudini præferenda, per quem
tex. pulchre annotauit Hoied. 1. p. c. 23. numero 145.
6 magis credendum esse dignioribus, & grauioribus
quamuis sint minores num. quam pluribus alijs num.
maioribus, non tamen ita dignis, quod etiam
tradunt Gabr. lib. 7. commun. opin. tit. de testibus
conclus. 4. ex num. 34. Tiraquell. de nobilit. cap. 20.
ex num. 33. respondeo enim, quod plura concurrunt
in fauorem Ecclesiarum, saltem quoad distributio-
nes si plures obtineant beneficia, quam si vnus: ea-
dem namque honestas personarum poterit esse si vnus
sit Thesaurarius, & alius Canonicus, quam si vnus,
& idem sit Canonicus, & Thesaurarius, tum etiam
quia ex dicta diuisione præbendarum adest maior
numerus personarum in Choro, per quem plus
decoratur, & honoratur cultus diuinus, vt supe-
rius dicebatur, vnde forsan non immerito existimat
Roch. de Curt. in cap. final. fol. 49. in vers. 17. inferitur
7 non valere consuetudinem, qua quis habet duas di-
tributiones quotidianas in eadē Ecclesia, quod etiam
sentire videtur Alphonsus Hoieda sibi contrarius d.
1. par. capitul. 77. num. 14. idemque videtur dicendum
circa vocem in capitulo dandam cum maius commo-
dum consequatur Ecclesia ex plurium consilio iux-
tex. in capitul. Prudentiam de officio delegat. vbi dicitur,
quod integrum est iudicium, quod plurimorum
sententias confirmatur, quod enim in pluribus queritur
sapientibus facilius inuenitur, vt habetur in cap.
de quibus 20. dist. & alibi dicitur, quod per ampliores
homines perfectissima veritas reuelatur. h. quæstionem
C. de fideicommiss. ex quibus planè dicendum vide-
tur vt dispensatus ad plura beneficia obtinenda in ea-
dem Ecclesia nec duas voces, nec duplicatas distribu-
tiones possit obtinere.

Rebuffus tamen in prax. ti. de dispensat. rat. ætat.
in vers. Cathedralibus in fin. pag. 391. censet, quod
quando in vna Ecclesia quis dignitatem habet cum
præbenda, non debet obtinere duplices distribu-
tiones, quia vnus tantum seruitium impendit, & vicem
vnus gerit, subdit tamen, quod quamuis hoc sit de
iure, de consuetudine tamen duplicem recipere por-
tionem in Regno Francia, alioquin nihil prodesset
habere duo beneficia tamen in Ecclesia Beata Virgi-
nis Mariæ de Pilari ex immemorabili consuetudine,
nullus duplices distributiones quotidianas consequi
valet, siue quis obtineat duo beneficia perpetua, &
collatiua, siue vnum perpetuum, & aliud naturale, &
amouibile ad nutum superioris, & obseruari vidi cum
multis, quam opinionem tanquam veriore defendit
Alex. Monet. de distrib. quotid. par. 2. qu. 4. vbi ex
numer. 8. eleganter satisfacit argumentis in contra-
rium adductis.

Ego autem arbitror supradictas Doctorum opi-
niones omni cessante consuetudine hac posse distin-
ctione conciliari, aut enim quis simpliciter, & tan-
tum est dispensatus vt possit obtinere fructus, & red-
ditus duorum beneficiorum in eadem Ecclesia, & tunc
quidem solum fructus non verò distributiones dup-
lices lucrabitur, vt in secunda opinione asseritur,
8 cum quotidianæ distributiones regulariter nullo
iure computentur in summa fructuum beneficii im-
petrati, nec debeantur appellatione fructuum, & præ-
bendarum, vt notatur in cap. vni. de Cler. non resident.
in 6. & multa congerunt in huius articuli confirma-
tionem Selua de benef. 3. par. q. 12. numer. 80. Cosm.
in Prag. sanct. tit. de collat. §. quod si quis in glos. in
verb. interessendo fol. 238. Gomes in explicatione
Bullæ in 4. clausula numer. 26. vers. quorum omnium
Couarr. lib. 3. var. capitul. 13. num. 1. Alphonsus Hoieda
de benef. 1. par. cap. 12. numer. 8. Ioan. Gutierrez lib.
2. Can. quæst. cap. 15. ex numer. 12. & consilio 8. num.
1. & 2.

1. & 2. Flam. Parif. de resignat. benef. libr. 6. quæst. 2. numer. 30. Rebuff. in tract. nominat. quæst. 9. num. 39. Hoieda 2. p. cap. 10. num. 16. Ioan. Ocon. in repet. cap. vni. de cler. non resident. in 6. num. 11. & dixi in 3. par. Collect. 15. num. 3. pulchrè Alexan. Monet. de distrib. quotid. 1. p. quæst. 6. vnde dispensatus; vt duplices fructus, vel præbendas obtineat sub eodem tecto, non quidem duplices distributiones, sed simplices tantum lucrabitur, cum .n. huiusmodi dispensatio sit odiosa, & in diminutionem cultus diuini, vt superius dicebatur, nullo iure debet fieri extensio vitra casum, in quo loquitur ex iuribus congestis in vol. 1. com. opin. pag. 71. vers. extensio Hoieda de ben. 1. p. c. 21. nu. 6. & probat tex. in l. vt si quis §. Diuus autem Marc. ff. de religiof. quem tex. dicit notabilem Bal. in l. 3. in prin. C. Epif. & Cler. nec dispensatus in vno casu censetur in alio, quando verò in dispensatione obtinendum est vt non tantum fructus duorum beneficiorum sed etiam duplices distributiones conferantur alicui in eadem ecclef. tunc quidem fructus, & distributiones eorundem beneficiorum lucrabitur duplices, obtinēs huiusmodi gratiam, & priuilegium, cum non repugnet iuri, vt in vno casu sicut in alio dispensare possit summus Pont. quemadmodum etiam dispensat aliquando, vt in absentia, & in alijs casibus, quibus quis consequatur distributiones vt suo in loco latius referam, ex quibus patet seriem dispensationis inspici debere, & ita prout fuerit gratia alicui concessa, ita illa frui debere.

RESOLVT. CCCCLXXIV.

- 1 Quando pensio est decursa, & non exacta, & fructus percepti, transmittitur ad hæredes clerici pensionarij defuncti.
- 2 Debetur pensio hæredibus clerici pensionarij defuncti si fructus sint percepti, licet nondum venerit dies.
- 3 Pensio Ecclesiastica cedit loco alimentorum.
- 4 Pensio annua recipit diuisiones temporum, mensium, dierum.

Pensio inexacta, & decursa, an per pensionarium defunctum transmittatur ad hæredes.

DE pensione autem Ecclesiastica, quam quis percipit an illam inexactam, & decursam transmittat clericus ad suos hæredes, vel remaneat illi qui soluit pensionem? distinguendum est videlicet.

- Ant pensio est decursa, & inexacta, & fructus percepti, sed tempore mortis pensionarij pendebant.
- 1 Primo modo, huiusmodi pensio hæredibus clerici defuncti debetur, quod idem dicendum est, quando pars fructuum esset collecta tempore mortis pensionarij, pars autem esset colligenda, & adhuc penderet, quod pro rata fructuum perceptorum pensio erit hæredum pensionarij leg. diuortio in prin. & ibi Alberic. col. 7. vbi testantur de communi Alex. Castr. Imol. & Roman. ff. solut. matr. Ferret. confil. 372. n. 6. & per totum Conar. var. resol. lib. 1. c. 15. nu. 13. Caccialup. in tract. de pension. q. 15. numer. 1. & 3. Gig. eodem tract. q. 52. per totam, & q. 13. in prin. & num. 3. Redoan. in tract. de spol. Ecclef. q. 3. in prin. num. 26. & 27. in §. pen. num. 6. 7. & 8. & ita fuisse decilum per Rotam dicit idem Redoan. in d. §. pen. n. 12. & quod ita deciderit Rota in vna Papie. fructuum coram Lancellotto sub 12. Februarij 1601. obseruat Antonin. variarum resol. lib. 1. resol. 46. in fi.
- 2 Quod procedit, licet nondum venerit dies pensionis exigendæ, & fructus quorum occasione pensio debetur, erant iam percepti per debitorem dictæ pensionis Alex. confil. 107. vol. 2. Gig. d. quæst. 531. nu. 2. Caccialup. d. q. 25. num. 2. Surd. confil. 333. num. 3. 4. & 10. vol. 3.

Si verò pensio soluitur ratione fructuum ciuiliū, tunc pensio pro rata temporis diuiditur, & quia pensio Ecclesiastica cedere videtur in causa alimentorum Roman. confil. 388. Gig. d. tract. quæst. 51. num. 2. Conar. d. cap. 15. nu. 13. in fine, alimenta autem quotidie subministrari debent.

- 3 Secunda ratio est, quia pensio annua ducatorum puta quinquaginta recipit diuisiones temporum, mensium, dierum, & horarum, & est quædam venditio, seu æstimatio temporis, quod sui natura multipliciter diuiditur, & ideo ipsa pensio diurna, mensura, vel annua succedit in locum temporis, quæ iuris intellectu videtur diuisa in omne tempus præteritum, & futurum, nam fructus Ciuilis, qui consistit in pensione potest dici perceptus ratione obligationis iam natæ, & acquisitæ à principio, cuius quantitas est certa; quæ rationes cessant in fructibus naturalibus, qui non per diuisiones temporum, sed eodem tempore verè colliguntur, nec interim est nata aliqua obligatio, nec quantitas, vel species certa antequam percipiantur, & hanc rationem tradunt DD. in l. diuortio in prin. & maxime Alberic. col. 1. & col. 5. Ferret. d. confil. 372. num. 8.

RESOLVT. CCCCLXXV.

- 1 In assignatione congrue portionis, plurimum deferatur iudicio Ordinarij, qui debet attendere multas circumstantias.
- 2 In assignatione congrue debet ordinarius magis inclinare ad fauorem Rectorum, quam aliorum.
- 3 In congrua non computantur incerta, nec quotidiana distributiones.
- 4 Pro Vicariis parochialium, congrua non debet esse minor summa quinquaginta ducatorum, nec maior centum.
- 5 In assignatione congrua pro Vicariis parochialium computantur incerta, quæ ad certam summam reduci possunt.
- 6 Sententia lata super congrua portione, non suspenditur per appellationem.
- 7 Quando ecclesia parochialis habet redditus pingues, potest Episcopus (vt melius deseruiatur) facere dismembrationes, & constituere cappellanos.

Portio congrua quanta sit.

- I**sta portio congrua, quæ venit assignanda Rectori Parochialis, soluitur arbitrio Ordinarij cap. final. §. vbi de decim. in 6. dist. elem. 1. de iure patronat. Rota diuerforum p. 2. decif. 99. num. 9. in materia.
- 1 etenim congrua portio plurimum deferatur iudicio Ordinarij Seraph. decif. 173. num. 1. par. 1. Qui Ordinarius considerare debet qualitates, & circumstantias loci, beneficij, personarum, necnon dignitatis beneficiati, onerum, morum regionis, & multa alia, de quibus latè per Rebuff. in tract. de congr. port. q. 8. per totam, & debet illam portionem assignare, vt beneficiati possint viuere non cum penuria, sed commodè, & congruè, vt post glos. & Abb. tradit Rebuff. d. tract. numer. 78. Rot. diuerforum, p. 2. decif. 5. num. 9.
 - 2 Debet autem ipse Ordinarius magis inclinare in fauorem beneficiorum, & Rectorum, quam possessoris illius, qui debet illam portionem soluere cum illi laborent in agro Domini spiritualia Parochianis ministrantes Rebuff. d. tract. nu. 82. in fin. Conc. Trid. c. 13. sels. 24. de refor. Rot. d. dec. 5. num. 10.
 - 3 Non computantur autem in congruam portionem incerta, qualia sunt anniuersaria oblationes, & distributiones, Rebuff. d. tract. numer. 83. & 85. & sequi. Rota d. dec. 5. secus verò vbi Ecclesia habet redditus incertos, qui communiter ad vnam summam redigi possunt

possunt Anch. in Clem. vnic. num. 42. de concele. prae-
bend. Rota d. decil. 5. num. 7.

Neque in assignanda dicta congrua portione,
sunt computandae quodidanae distributiones Re-
buff. de congr. port. quaestione 8. numero 82. & 86.
Caesar de Grassis dec. 6. numer. 12. & 13. de praebend.
Rota dec. 8. de praebend. in nou. & Rot. diuersorum
p. 2. dict. decil. 5. num. 4. per totam.

Nisi in congrua portione assignanda Vicarijs Pa-
rochialium, quia tunc computantur distributiones
quotidiana, vt statuit Pius Quintus in constit. 46.
quae incipit ad exequendum, in qua sancit, quod
4 Praelati debeant assignare Vicarijs summam, non
minorem quinquaginta, nec maiorem centum scu-
torum annuorum computatis omnibus, etiam incer-
5 tis emolumentis, & alijs obuentionibus communiter
percipi solitis.

Veruntamen in illis quinquaginta, siue centum non
sunt computandae elemosinae altaris, funeralium, &
alia huiusmodi, quae Vicarius postea ex suo labore, &
officio percipit, sed illa incerta, quae habent quandam
certitudinem vt sunt decimae, seu primitiae frumenti,
vini, & aliorum fructuum quamuis in dicta constitu-
tione dicatur imposita eadem portio super emolu-
mentis, & alijs obuentionibus etiam incertis commu-
niter percipi solitis Rebuff. in d. tract. num. 83. & 85. &
86. & post eum Thes. for. Eccl. c. 31. num. 6.

6 Et quamuis a sententia lata super congrua por-
tione appellari possit Rebuff. d. tract. de congr. por.
num. 79. nihilominus haec appellatio non suspendit,
quominus iudex possit sententiam suam exequi gl. in
Clem. 1. verb. oneramus de Iurepat. Seraphin. dec.
173. num. 3. part. 1.

7 Quando tamen Ecclesia Parochialis habet reddi-
tus pingues tunc potest Episcopus, vt melius Ecclesiae
deseruiatur facere dismembrationem, & constituere
Cappellanos Seraph. dec. 428. per totam p. 1.

RESOLVT. CCCCLXXVI.

- 1 Beneficia dicuntur incompatibilia, quando ambo requi-
runt personalem residentiam, & per assecutionem
vnius vacat alterum.
- 2 Statutum exorbitans a iure communi nos extenditur, ex
identitate, vel maiori rationis.
- 3 Extensio a paritate, vel maiori rationis non datur
de casu ad casum in his quae veniunt ex dispensatione
Apostolica.
- 4 Consuetudo contra ius requirit lapsum temporis quadra-
ginta annorum.
- 5 Error excludit consensum, & consuetudinem.
- 6 Consuetudo iuri contraria debet stricte intelligi vt tan-
tum habeat de effectu, quantum de usu.
- 7 Magis creditur testibus quibus assistit aliqua iuris praesump-
tio, quam alijs.

Beneficia personalem residentiam requirentia dicuntur
incompatibilia, & per impetrationem vnius
alterum vacat, & quando contraria
consuetudo probanda sit.

Respondi cum decil. Rotae in vna Giennen. 5. Iunij
1613. coram Vbaldo, cuius tenor est. Rota cen-
suit per assecutionem scholastriae in Ecclesia Giennen.
vacasse portione, quam de scholastria prouisus in
eadem Ecclesia obtinebat cum .n. vtriusque benefi-
cium requirat personalem residentiam ex dispositio-
ne sacri Concil. Trid. cap. 12. vers. praeterea sels. 24.
quod loquitur in portioneibus & dignitatibus, qualem
esse scholastriam in dicta Ecclesia non ambigitur, se-
quitur clara incompatibilitas vtriusque ex eod. sacri
Concil. sels. eadem 24. cap. 17. & proinde per assecu-

tionem vnius alterum vacare dicitur ipso iure, idem
Concil. sels. 7. c. 4. & saepe respondit sacra congregatio
Illustrissimi Concilij interpretum, quam saepe sequuta
est Rota, & signanter in Zamoren. Canonatus de
toto 18. Martij 1598. coram bon. mem. Pacen. & in
Salamantina dimidia portione 11. Decemb. 1585.
coram bon. mem. Orano, & in alijs relatis per moder.
ad reg. 8. glos. 15. num. 19.

Non obstant statuta, & consuetudo Ecclesiae, qui-
bus ex aduerso pretenditur inductum, & permixtum
retinere dignitatem cum portione, quia quoad sta-
tuta fuit responsum, primo, quidem solum permitte-
re retentionem dignitatis cum Canonatu de por-
tione vero nullam mentionem facit, & cum sit statu-
tum exorbitans a iure communi propter prohibitam
retentionem incompatibilium non debet extendi
etiam si adesset eadem vel maior ratio Bart. in aut.
quas actiones nu. 8. & 9. de fac. sanct. Eccl. Castr. in l.
illam n. 5. C. de collat. vt dec. 88. & n. 6. dec. 95. & num.
10. & dec. 177. & num. 3. & lib. 1. praefertim quia tale
statutum validatur ex speciali confirmatione sedis
apostolicae, & in his, quae veniunt ex dispensatione,

3 apostolica non licet arguere a paritate, vel maiori-
tate, Caput. dec. 8. num. 7. & dec. 274. & n. 5. par. 1. vl-
tra quod ratio diuersitatis videbatur manifesta inter
canonicatus, & portiones quoad concursum cum
dignitatibus, cum canonici habeant aequalia seruitia
cum dignitatibus, portionarij vero inferiora, ideo ef-
fset inconueniens, vt dignitatem obtinentes retine-
rent etiam portiones, pro quibus tenerentur subire
seruitia inferiora, vt alias censuit eadem sacra Con-
gregatio Concilij, & Rota in Burg. ferutij coram Li-
ta. Secundum vero statutum, quo cauetur vt scholasti-
cus debeat habere vnam portionem, non releuat, quia
non loquitur de portione, prout est titulus, & bene-
ficio distinctum a dignitate, sed intelligitur de
portione fructuum danda scholastriae, pro illius dote,
& congrua sustentatione, vt apparet ex eiusdem
statuti lectura, quod integrum fuit, datum pro parte
Francisci, quo vero ad consuetudinem fuit responsum,
illam non probari in primis quidem, quia cum talis
consuetudo sit contra ius, vt patet ex supra dictis, ad
eius praescriptionem requiritur lapsus quadraginta an-
4 norum, iuxta not. in c. fi. vbi Doct. communiter de con-
suetudin. Bart. in repet. l. de quib. nu. 14. in fi. ff. de le-
gub. Rom. consil. 368. n. 5. & in terminis nostris Holecia
de incompatib. benef. 2. par. cap. 11. num. 14.

Dicta autem quadragenaria praescriptio non vide-
batur probari ex prouisionibus de prioratu, & portio-
ne in dicta Ecclesia quae fuerunt datae, quia prouisio
facta de anno 1563. Francisci de Valdimia portionarij
fuit ex dispensatione apostolica, quae excludit dictam
consuetudinem retinendi incompatibilia. Imo con-
firmat statutum incompatibilitatis, vt in simili Rota
dixit decision. 577. numero quinto, par. 3. diuersi. sicut
ex instrumento legitimationis probatur filium fuisse
legitimum, & omnis dispensatio probat veritatem
esse in contrarium Bal. in l. 2. numero 2. C. de iure-
iuran. Ias. in l. decem num. 18. Castr. & Alexand. ibi-
dem ff. de verbor. oblig. Curt. sen. consil. 73. num. 14.
Surd. consil. 556. numer. 12. lib. 4.

Vnde subducto tempore, quo Valdimia retinuit
dignitatem, & portione ex dispensatione apostoli-
ca, qui dicitur vixisse vsque ad annum 1579. non re-
manet quadragenaria ante moram litae, prout requi-
ritur ex allegatis, quae neque etiam probarentur ex
duabus prouisionibus immediate sequentibus ad fa-
uorem Francisci Cordoi, & Martin. Ceron. Cum nar-
ratina, quod prioratus conuenerit vna cum portione
retineri absque dispensatione apostolica, hoc
enim correctum detegitur ex praecedenti dispensa-
tione, quia error consensus, & consuetudinem ex-
cludit.

cludit, Roman. consil. 386. numero quinto.

Non obstant testes inducti ad probandam prædictam consuetudinem, quia deponunt de compatibilitate dignitatis, cum canonice non controuertitur vigore statuti, de quo supra, & quatenus etiam deponant de consuetudine retinendi dignitatem, cum portione, restringunt suum dictum ad Prioratum, & alios duos supra dictos; & in omnem euentum consuetudo quatenus probaretur circa prioratum, & portione, illa tanquam consuetudo non vniuersalis, & iuri contraria debet strictè intelligi, vt tantum habeat de effectu, quantum de usu, nec extendatur ad alias dignitates, etiam similis conditionis Ioannes Andr. in capit. dilecto, num. 29. de offic. Archidiacon. Socin. l. un. in consil. 10. 12. 13. & sequent. libro secund. benefacit Mohedan. decisione septima, de præscription. & dec. 107. libr. 1. decif. 310. lib. 2.

Idque eo magis cum quartus testis pro parte aduersa inductus expresse testetur, se nunquam vidisse in Ecclesia Giennen. obtineri dignitatem cum portione, nisi solum prioratum, vt in summario Francisci numero sexto, & quintus pro eadem parte super tertio articulo dicat se non cognouisse aliquem scholasticum, obtinere aliquam portione, vt in summario testimonium a Gomefio dato.

Quibus accedit depositio testium Francisci benedepONENTIUM non fuisse visum nec auditum quod in Ecclesia Giennen. portiones, & dignitates fuerint simul retentæ, nisi ex dispensatione Apostolica, quibus testibus, vel maior fides adhibenda videtur, quam contrarijs, vt pote deponentibus iusta dispositionem iuris, & Concilij Tridentini, Gabriel de testibus conclusio. quarta, & num. vigesimo secundo, & rursus, numero nono, vbi firmat magis credi testibus quorum dictis aliqua affuit iuris præsumptio, vel saltem ex istis eliditur contraria pro Gomefio testimonium depositio, & ita fuit decifum.

RESOLVT. CCCCLXXVII.

- 1 Pensio imponi non potest nisi de consensu habentis beneficium, ex quo illa soluitur.
- 2 Probatio de consensu incumbit asserenti talem consensum interuenisse.
- 3 Actus sine consensu requisito nullus est ipso iure.
- 4 Literæ sunt nullæ si à tergo ipsarum non extenditur consensus resignantis.
- 5 Ad probationem consensus in resignat. requiritur quod resignans consentiens pensionis per se, vel per suum procuratorem consensum præstet coram notario Camera, vel Cancellariæ.

Si consensus in impositione pensionis non appareat, aut presumatur, vel pensio dicatur nulla, & de practica imponendi consensum, ad intellectum regulæ Cancellariæ.

QUOD in casu proposito bulla dictæ pensionis sit nulla appareat, quia non constat à tergo expeditam in esse de principali, aut sui legitimi procuratoris consensu, ideo nullo modo ipsi præiudicat, nam pensio non potest imponi, nisi de consensu habentis eam soluere, vt resoluit Ferretus consil. 388. Emil. dec. Rotæ 11. numer. 4. par. 3. Puteus decif. Rotæ 368. num. 4. lib. 2. Parif. 8. de resignat. benef. quæst. 7. num. 169. nec literæ de ea expediri iuxta regulam Cancellariæ 43. de consensu, in resignationibus, & pensionibus ibi, nec literæ reservationis, vel assignationis etiam motu proprio cuiusvis pensionis annuæ super alicuius beneficii fructibus expediri possint, nisi de consensu illius, qui pensionem perfoluere tunc habebit, idem Parif. quæ de stylo notariorum Camera, & Cancellariæ

attestatur lib. 10. q. 3. num. 10. lib. 2. q. 2. num. 38. & 66. lib. 1. q. 12. num. 51. lib. 9. q. 27. num. 8. nec mirum, quia talis consensus perficit actum antea non perfectum arg. cap. si tibi absenti de præbend. lib. 6. Sarnensis regula de infirmis q. 31. Parif. d. c. 12. num. 22. probatio autem consensus incumbit ei, qui asserit alicuius consensum in actu interuenisse, vt ex leg. ei qui dicit ff. de probation. l. actor Cod. eo tradit Gratus respons. 59. numer. 20. vol. 1. nam cum sit facti l. consilio ff. de curatore furios. non præsumitur, sicut nec alia, quæ in facto consistunt l. in bello §. factæ ff. de cap. & postlim. reuer. Gratus vbi proximè num. 19. quare cum non constet de tali consensu, nec d. regulæ Cancellariæ derogatum appareat, sequitur nullam esse dictam reservationem pensionis, quia actus sine requisito consensu nullus est ipso iure, vt per Tiracquel. de legibus connubial. glof. 4. num. 2. & gl. 6. & 7. Glossatores in leg. 55. Tauri, Gonzalez ad regul. 8. Cancellariæ de mensibus, & altern. gl. 47. num. 15. & in terminis nostris pensionis hoc tradit Gigas tract. de pension. q. 10. numer. 7. & seq. & q. 2. nu. 2. Glossator regularum Cancellariæ Inn. 8. regul. 43. ad fin. Parif. lib. 8. de resignat. benef. p. 8. numer. 1. 25. & sequ. & numer. 73. vbi inquit, scribitur etiam consensus formalis, de quo loquimur à tergo in supplicatione originalis, & literis, prout tradunt Augustin. decif. 256. libro tertio Crescent. decif. 209. libro primo, Peregrin. dec. 69. l. 1. in manu scriptis, & ita fieri communiter, & practitari, & quod si non apponatur, literæ sunt nullæ, nec solere expediri, nisi extenso consensu à tergo ipsarum, vt tradit Mohedan. decif. 3. in eisdem manu scriptis, & hanc nullitatis exceptionem tradit in terminis Gigas tractat. de pension. q. ult. n. 9. & conferunt quæ Gambart. lib. 6. de officio, & potest. legat. de Later. num. 72. Sarnensis in compend. signat. numer. 82.

Nec obstat dicere, quod in bulla pensionis dicitur per dictum principalem, cuius ad hoc expressus accedit assensus, nam sunt verba narratiua, quæ debent verificari, & comprobari per consensum coram notario Cancellariæ, aut Camera, qui ponitur à tergo bullæ, vt dictum est, quia narratorum natura est, vt non probent, sed vt probari debeant, Probis post Monach. Andr. & dd. in c. si Papa de priuilegijs lib. 6. notab. 1. & 2. Abbas in c. fin. colum. 4. num. 14. de successione ab intest. Ferret. consil. 353. numer. 14. tom. 2. Parif. lib. 6. de resignat. benef. q. 5. num. 5.

Etiam si fuerit narratiua Principis super facto alieno non facta motu proprio, vt poit Alexand. consil. 112. num. 2. lib. 7. tradit Rota Romana decif. 154. n. 4. par. 2. diuers. Sac. Palat. Puteus decif. 338. n. 1. lib. 3.

Et cum non sit verificata narratiua per asserentem, vt necesse habebat facere, cum sit pars gratiæ, vt tradit Emil. decif. Rotæ 271. num. 3. par. 1. & decif. 39. num. 2. par. 2. Rota Rom. decif. 655. num. 3. lib. 3. Puteus decif. 245. num. 1. p. 1. Abbas, & DD. in c. fin. §. constitutis de rescript. Rebuff. in praxi parte 1. in tit. bullæ declarat. num. 20. Casar de Grassis decif. 66. a num. 1. Gonzalez ad reg. 8. Cancell. §. 4. proemij num. 79. & glof. 9. in annot. n. 231. & 239. & glof. 32. num. 57. & seq. Paris de resignat. benef. lib. 10. q. 3. a num. 3. & nominatim in pensione quod ipsius narratiua sit verificanda, tradit Emil. decif. Rotæ 291. num. 2. par. 1. & ex doctrina Imolæ in cap. super literis nu. 19. de rescript. alios allegans, tradit Garzia tract. de benef. par. 1. c. 5. §. 4. n. 442. & seq. & num. 477. Mohedan. decif. 35. de renunciat. Marchesan. de commissio. par. 1. cap. 14. n. 13. maxime si resularet præiudicium tertio, vt per Aymon. consil. 294. num. 4. & in tract. de antiqu. tempor. par. 1. §. 1. num. 16. & 20. Crescent. decif. 89. Rot. Rom. Sac. Pal. decif. 388. num. 3. par. 1. Abb. in clem. 1. in fin. de probat. Ferret. consil. 172.

fil. 172. incip. præsupponitur n. 6. & consil. 239. num. 8. Grabel. concl. 2. de probat. numer. 28. Emil. decif. Rotæ 337. num. 2. & 3. par. 3.

Et ad probationem dicti consensus, & voluntatis requiritur per dictam regulam Cancellariæ, quod resignans, aut consentiens pensioni præstet ipsam per se, aut suum procuratorem in Cancellaria, aut Camera coram notario, alias non valeat, etiam si supplicationem porrexisset ipsemet, qui pensionis reservationi consentire debebat, ita post Puteum lib. 3. decision. 2. tradit Paris. lib. 8. q. 8. num. 21. 14. & 33. qui num. 118. ait, quod quando confertur absentis beneficium reservata pensione resignanti, aut alij, etiam si dicatur, quod prout consentit per illa verba, cuius ad hoc expressus accedit assensus, derogatur dictæ regulæ de consensu, nam alias non valeret, ita, prædicati videmus.

RESOLVT. CCCCLXXVIII.

- 1 Beneficia resignata in manibus Episcoporum, non possunt conferri consanguineis resignantium.
- 2 Regula de triennali suffragatur etiam Bastardo possessori beneficii cum titulo colorato.
- 3 Regula de triennali fuit edita ad extinguendas lites.
- 4 Qui a superiore per triennium est toleratus præsumitur dispensatus.
- 5 Triennalis possessor eadem gaudet securitate, qua gaudet is, qui præscripsit per quadraginta annos.

An si beneficium liberè resignatum in manibus Episcopi conferatur eius consanguineo valeat collatio, & an inueter possessor regulæ de triennali.

FVit facta resignatio cuiusdam beneficii liberè in manibus Episcopi, verum idem Episcopus eius consanguineo contulit, dubitabatur an talis collatio de iure sustineri posset, & dato, quod sit nulla, an ei suffragetur regula de triennali, & dicebatur super hoc extare bullam se. rec. Pij Papæ V. qua prohibetur beneficia resignata in manibus Episcoporum, conferri consanguineis, vel affinibus resignantium, vel Episcopi, prout ex dicta bulla. Num verò talis prout si per triennium possederit, gaudere possit beneficio regulæ de triennali, & respondit affirmatiuè.

Primo, quia regula prædicta comprehendit, & defendit etiam Bastardum possessorem cum titulo colorato, Castad. in decision. 8. de causa poss. & propriet. Faber in decif. 6. C. de sacrosanctis Ecclesijs, refert, & sequitur Gomez. in præallegat. regul. de triennali quæst. 2. circa finem argumento text. in l. prope-randum C. de iudicijs, ubi habetur, quod extinguere lites concernit bonum publicum, sed regula prædicta fuit edita ad lites extinguendas.

Tum quia, qui a superiore per triennium est toleratus, præsumitur dispensatus, iuxta notata per Anchar. in consil. 107. Alban. in consil. 29. volum. 1. per text. qui ad hoc communiter allegatur in c. cum iam-dudum de præbendis, & dignit.

Tum etiam, quia triennalis possessor eadem gaudet securitate, qua gaudet præscribens per quadraginta annos, Alexand. in consil. 151. volumine secundo, & in consil. 163. eodem volumine sequitur Gomez. dicta reg. quæst. 58. nu. 4. Crescent. in decif. 4. de præscriptionibus, & Garz. in decif. 7.

RESOLVT. CCCCLXXIX.

- 1 Iudicis arbitrio relinquitur, quod nam beneficium sit sufficiens ad victum.
- 2 Canonicatus in cathedrali est dignitas.

3 In patrimonio sufficiens consideratur qualitas personarum, & regionis.

4 Beneficium valoris quindecim librarum Parisiensium est sufficiens ad victum.

Beneficium quando dicatur sufficiens ad victum ad effectum, ut vnicum tantum, quis retinere valeat ex vi Concil. Trident.

CAutum est Concilio Tridentin. sess. 22. capitul. 12. neminem posse plura beneficia retinere, quod si esset insufficiens ad victum, admittatur ad secundum, quare fuit pluries apud me dubitatum quando beneficium dicatur sufficiens ad victum ad effectum, de quo supra, & dicebam primo hoc iudicis arbitrio esse relinquendum, qui ut bonus vir, ad text. in l. vir bonus ff. iudicatum solui, arbitratur, quæ nam quantitas sufficiat inspecta qualitate personarum, quæ ante omnia inspicere debet, liber homo C. de petitione hereditatis l. si quæramus ff. de testamentis, & cap. 1. de accusationibus nouis. in prax. cap. 33. dicens, quod cum Canonicatus in Cathedrali sit dignitas cap. statutum de rescriptis in 6. Verall. in dec. 90. Mohed. in decif. 1. de constitutionibus, sufficiens erit beneficium pro canonico Neapolitano obtentum a Canonico valoris quingentorum aureorum, quemadmodum dicimus in patrimonio, quod requiritur, ut quis valeat ad sacros ordines ascendere, in cuius quantitate consideratur etiam consuetudo regionis, & personarum qualitas Sayr. in consil. 3. de temporibus ordinationum volum. 2. unde varij varia hac in re existimauerunt, & quidam dixerunt beneficium valoris 15. librarum Parisiensium esse sufficiens, ut probat Dyonis. Chartus. in tract. de pluralitate benefic. cap. 13. Ludolphus in 1. par. vitæ Christi cap. 68.

RESOLVT. CCCCLXXX.

- 1 Non habens intentionem suscipiendi ordinem præbyteratus beneficio annexum, si intra annum voluntatem mutet, non tenetur restituere fructus perceptos.
- 2 Accipiens beneficium simplex, cui annexus est aliquis ordo non tenetur restituere fructus, si beneficium sit curatum.
- 3 Peccat mortaliter, qui non habet intentionem suscipiendi ordinem annexum beneficio.
- 4 Qui non sumit ordinem sacrum annexum beneficio in cathedrali, vel collegiata, amittit distributiones, & non habet vocem in capitulo.
- 5 Accipiens beneficium, cui est annexus ordo sacer, sed animo renunciandi peccat mortaliter.
- 6 Omnia beneficia postulant clericatum actu.
- 7 Beneficiatus nolens gestare habitum clericalem peccat mortaliter.
- 8 Clericus beneficiatus gestans habitum clericalem adimplens onera habens animum mutandi vitam si aliquid conuenientius superveniat, non peccat mortaliter.

An accipiens beneficium curatum sine animo suscipiendi præbyteratum, teneatur ad restitutionem fructuum.

Circa propositi dubij resolutionem distinguendi sunt plures casus, videlicet.

Primus est si habens talem intentionem postea, mutato animo recipiat ordinem sacerdotalem, & tunc dicit Sotus hunc talem teneri restituere fructus perceptos toto tempore, quo habuit animum non suscipiendi sacerdotium, Navar. tamen in summa cap. 25. n. 118. quem sequitur Reginald. d. tract. 3. n. 181. probat contrarium, & rectè quidem, quia illa voluntas

ras præcedens purgatur per voluntatem sequentem, & satis est, quod intra annum ordinetur, & interim exerceat ea, quæ tenetur ratione beneficii.

Secundus casus est, quando haberet animum dimittendi beneficium illud curatum, si aliud beneficium pinguius sibi obuenerit, Abb. in cap. relatum, de cleric. non resident. Rosell. Angel. & Syluest. penes Reginald. dict. tract. 3. num. 182. dicunt peccare, & mutandum propositum, Nauar. tamen dict. numer. 118. cap. 25. Summ. tenet oppositum, ut non peccet, & satis est interim habere propositum satisfaciendi obligationi annexæ beneficio, quod retinet, & Nauar. hanc opinionem dicit probabilem speculatiue, sed in praxi esse periculosam, Reginald. dict. num. 182. ob periculum agendi fraudulenter contra beneficium curatum.

Tertius casus est si quis reciperet alia beneficia, quæ non habent annexam curam animarum, ut sunt personatus officia, præbenda, portiones, & sic de alijs, & tunc licet Gabr. in 4. dist. 15. qu. 8. artic. 3. dub. 1. teneat hunc talem teneri restituere fructus, si aliquod ex his beneficijs accipiat sine intentione suscipiendi ordinem annexum beneficio, quia fraudulentam habet intentionem nihilominus Nauar. loco citato, & Sot. quos probat Reginald. d. tract. 3. d. n. 183. oppositum tenet, scilicet talem non teneri ad restitutionem fructuum, quod etiam post Palud. & Syluest. probat Vafq. d. dub. 1. num. 36. & seqq. siquidem iura solum statuerunt penam restitutionis beneficiario, qui recepit beneficium curatum sine tali intentione, ut in præcedentibus dictum est, & iure quidem, quia fructus beneficii curati natura sua ex iure naturali percipiuntur intuitu officij præstandi personaliter ab ipso beneficiario, & sic necessario annexum habet sacerdotium, unde hic talis ageret contra ius naturale, & consequenter fructus restituere tenetur, quod non procedit in alijs beneficijs, quia de iure hoc non inuenitur expressum.

Est bene verum, quod si ordo sit connexus beneficio, & haberet intentionem non suscipiendi illum ordinem, quod peccat mortaliter, ut post Sot. & Nauar. notat Vafq. d. dub. 1. num. 38. quia habet intentionem non obseruandi ius, & si in cathedralibus, vel collegiatis Ecclesijs talia beneficia acceperint, & intra annum non ordinentur ordine connexo eisdem beneficio, tunc priuantur voce in capitulo, & dimidia parte distributionum, quæ dantur pro presentia horis canonicis, ut habetur in clement. vi. ij. qui, de ætat. & qual. & in Trid. sess. 22. de reformat. c. 4. ubi renouantur penæ determinatæ in d. clem. Vafq. d. dub. 1. num. 36.

Quartus casus est, quod si aliquis acceperit beneficium simplex animo relinquendi illud, & redeundi ad statum laicalem, & hic aliquando peccat mortaliter, & aliquando non, secundum aliquorum sententiam, si enim beneficium haberet annexum ordinem sacrum peccaret mortaliter, secundum omnes, quia eo ipso haberet animum non suscipiendi ordinem sacrum, & sic in re graui contrauentret dispositioni iuris, ita Sot. & Nauar. quos probat Reginald. d. tract. 2. num. 184. quartum est Vafq. d. dub. 1. sub num. 38. versic. quod si beneficium esset ex ijs verum non tenetur restituere fructus perceptos, si adimpleret ea, quæ sunt annexa beneficio, ut prosequuntur Auctores citati.

At si beneficium simplex non haberet annexum ordinem sacrum, & tunc Vafq. d. num. 38. quarto dicendum est: tenet hunc talem non peccare mortaliter subdit hæc verba, quia ista beneficia natura sua non postulant clericum actum, qui officium bene sequatur, aliud autem, quod animum habeat in eo permanendi statu non video esse necessarium, nec iure vilo,

nec institutionem beneficiorum verum est, sed in contrarium est communis sententia, quam post Sot. & Nauar. probat Reginald. sub d. num. 184. tertium est quia eo ipso se exhibet indignum sua professione, & desertor se gerit sui status, dum nolit clericaliter viuere, ut ex text. in clem. 2. de vit. & honest. cleric. bene probant citati auctores, & sic habet intentionem non obseruandi ius canonicum, & consequenter mortaliter peccat.

Nec vrget ratio Vafq. nam omnia beneficia natura sua postulant clericatum actum, nec possunt conferri non clericis, nam pro clericis sunt instituta, etiam beneficia simplicia, ut superius dictum est, & ipsemet Vafq. affirmat, ut d. num. 69. & 272. relatum est, & sic non est recedendum a communi sententia: itaque habens beneficium, & nolens gestare habitum clericalem, & tonsuram, peccat mortaliter etiam si beneficium sit simplex, nec debet absolui, si illam non mutat voluntatem, ita Sot. lib. 10. de iust. & iur. art. 6. Nauar. in summ. capit. 25. numero 118. in fin. Reginald. dict. tract. 3. num. 185.

Limitatur tamen si gestans habitum clericalem, & tonsuram haberet animum conditionatum, videlicet mutandi vitam, si aliquid superueniat conuenientius proposito suo, interim adimpleret onera annexa beneficio, non enim tunc peccaret mortaliter, quia non diceretur desertor sui status, dum non simpliciter, sed sub tali conditione habet propositum mutandi statum, ut post Nauar. notat Reginald. d. tract. 3. num. 184. in fin. & ita intelligi potest opinio Vafq. & ex dictis in præcedentibus, & seqq. per eum sic intelligi debet, nempe ut beneficia simplicia ex natura sua non postulent, ut perpetuo sit clericus, qui illa habet, sed satis est, ut sit clericus de præsentī, dum illa possidet, in omni tamen sententia non tenetur fructus restituere si adimplet onera annexa beneficio, quia fructus respondet labori præsentī, & hæc est receptior sententia, ut dixi num. 72. cum seqq.

RESOLVT. CCCCLXXXI.

- 1 *Persona notoriè digna promoueri potest etiam absque examine.*
- 2 *Episcopus originis, domicilij, & beneficii possunt ordinare.*
- 3 *Laicus de proximo clericandus potest ad beneficium presentari.*
- 4 *Episcopus non potest ordinare laicum exterum, nisi per triennium sit secum commoratus.*
- 5 *Efficitur quis cuius loci, in quo habet beneficium.*

Prima tonsura an possit conferri ab Episcopo domicilij absque literis dimissorijs Episcopi originis.

Literæ commendatitiæ requiruntur pro ignotis. Vnde qui sunt bene noti, siue sint clerici, siue laici, possunt absque huiusmodi literis recipi ad ordines ab Episcopo, in cuius loco commorantur, tum quia istæ literæ dicuntur commendatitiæ quasi commendent mores proficiscientium, quod in notis non requiritur, cum etiam notus possit promoueri sine examinatione distint. 23. ita omnia prædicta declarat Abb. in cap. fraternitati. 7. colum. 1. ad med. numero 4. versic. & limita hunc textum, de cleric. non resident. quod etiam prius voluit Innoc. in cap. cum iam dudum 18. col. 2. in princ. num. 3. in fine versic. dictum illud verum de præbend. ideo in c. cum nullus tertio de tempor. ordinat. in 6. in materia ordinum, vel dimissorialium ad ordines, conceditur facultas ordinandi tribus superioribus, vel loci, in quo quis est oriundus, vel in cuius diocesi obit, nec

net beneficium Ecclesiasticum, vel ubi habet domicilium, quamvis alibi natus fuerit, quod etiam notat Nauar. consil. 36. an Episcopus possit num. 1. de tempor. ordinan. Franch. in d. cap. nullus in princ. & in num. 4. ubi intelligit de habitatione per decennium, de qua etiam per doct. in l. ciues C. de incol. lib. 10. Felyn. in c. dilectus filius il 2. quæst. 29. col. 2. ad med. in 4. corol. versicul. limita nisi aliquis staret num. 4. de rescript. Franc. in cap. eos qui 2. num. 4. de tempor. ordinan. in 6. doctor. in c. 1. de for. comp.

Ex prædictis videtur concludendum posse conferri tonsuram per Episcopum absque literis dimissorijs Episcopi originis stante habitatione per decem, & octo annos, ut præsupponitur, & quod sit bene cognitus in dicto Episcopatu ad effectum obtinendi beneficium iuris patronatus, quod poterit conferri ipsimet patrono, ad cuius preces Episcopus potest illum providere de dicto beneficio, maxime si non est curatum, & patronus sit indigens, iuxta ea, quæ ponit in specie Abb. in cap. per vestras 26. col. 2. post med. in versic. puto etiam posse attentari de iurepatr. Lambert. eod. tit. p. 1. lib. 2. art. 8. q. 8. Ludou. conclusionem 42. col. 161. ante med. versic. ampliatur sexto, quod clericus patronus Cauale. decis. 23. num. 44. par. 3.

Præsertim cum etiam laicus de proximo clericandus possit præsentari ad beneficium, cum hoc casu præsentatus non sit penitus indignus, si ante institutionem sit tonsuratus quidquid alias præsentatio facta de laico non subsistat, prout resoluit Rota coram R. P. D. Orano Imolen. iuris patronatus 19. Nouembris 1584. de qua per Paris. de resignat. lib. 4. c. 2. num. 6.

Quoad aliud dubium an Episcopus possit ordinare laicum exterum ad effectum, ut consequatur beneficium in sua diecesi videtur dicendum, quod non quia Concilium Tridentinum sess. 23. cap. 9. requirit seruitium per triennium, quod postea illi conferat beneficium, unde cessante seruitio d. triennij cessat etiam facultas ordinandi, & ratio est, quia ad hoc ut Episcopus possit ordinare non subditum ratione beneficij, prius debet ordinandus habere beneficium, ob quod poterit postea promoueri ad alios ordines, quos prius non habebat, cum quis efficiatur eius illius loci, in quo habet beneficium Boer. decis. 260. numer. 20. post Ang. consil. 23. nulla persona in fine versic. prædicta autem vera Alberic. in l. versic. vidi etiam dubitari ff. quod cuiusque vniuersit. quare ratione istius ciuitatis datur facultas ordinandi, & sic collatio beneficij debet præcedere, ut ordinatio subsistat, unde Luc. de Pen. in l. cum neque 4. in fin. versic. ex hac lege colligit C. de incol. & ubi quis domicilium habet libro 10. concludit, quod etiam clericus habens alicubi præbendam sortiatur ibi domicilium, nisi sit quæstio de ipsa præbenda, sed contrarium est verius, ut testatur Boer. d. decis. 260. num. 20. prout etiam tenet Alber. in d. l. 1. ff. quod cuiusque vniuersit. nom.

Et quamvis prax. Archiep. cap. 48. in fin. videatur tenere, quod possit prius ordinari, & postea conferri beneficium, tamen nihil allegat, sed eius dictum videtur posse procedere in familiari triennali Episcopi, qui potest ab ipso ordinari, & postea eidem beneficium conferri potest.

RESOLVT. CCCCLXXXII.

- 1 Quamvis imponatur pœna ipso facto, tamen requiritur declaratoria.
- 2 Beneficiatus, qui habitum, & tonsuram deferre consuevit, & si aliquoties dictum habitum omiserit, non incidit ipso facto in pœnam bullæ Sixti Quinti.
- 3 Clericus gaudet priuilegio fori, etiam si aliquando seruitium intermiserit.

4 Clericus primæ tonsuræ non beneficiatus, si non incedit in habitum, & tonsuram, amittit priuilegium, absque monitione.

An bulla Sixti V. quemadmodum priuat clericum beneficio absque declaratione, ita etiam iudicat priuilegium fori.

Quamvis in constitutione Sixti Quinti non incedentes in habitu, & tonsura sint priuati beneficijs sine vlla monitione, citatione, iudicis decreto, aut ministerio, & ipso facto: Tamen non debent amittere priuilegium fori ante latam sententiam declaratoriam ab Ecclesiastico, cum illa semper prius requiratur, & debeat præcedere etiam quando imponitur pœna ipso facto, licet enim non sit necessaria sententia, quæ irroget illam pœnam, nihilominus requiritur, quod declaratur actus, aut commissum, aut etiam omisum, ex quo pœna ipso iure lata est, ita in specie dictæ constitutionis concludit prax. Archiepiscopalis Neapolitana c. 7. num. 7.

Prout hoc generale est in omnibus criminibus tam lætæ maiestatis, quam similibus, in quibus licet incuratur pœna ipso facto, & absque aliqua sententia ipso iure, tamen semper requiritur declaratoria, quod talis commiserit ipsum delictum Franc. in cap. Felicis §. nullus num. 3. de pen. in 6. & est verior opinio quidquid alii contrarium sentiant, ut testatur latè Tiracuell. in l. si vnquam in verbo reuertatur, num. 400. C. de reuocand. donat. post Felyn. in c. Rodolphus col. 4. de rescript. & in c. cum non ab homine col. 4. de iudic.

Item videtur dicendum quoad secundum dubium, ut videlicet clericus beneficiatus non inferens alicui Ecclesiæ, qui habitum, & tonsuram gestare consuevit non incidat in pœnam amissionis beneficii in eadem constitutione Sixti V. imposita, quamvis aliquoties huiusmodi gestationem intermiserit. Unde etiam lata declaratoria super facto, gaudebit priuilegio fori, nam clericus non perdit dictum priuilegium, quamvis etiam esset captus cum armis sine habitu, & tonsura, si alius probaretur, quod esset solitus illum deferre cum requiratur perseverantia in non deferendo habitum, adeo ut publice existimetur laicus Decian. in tract. criminal. tom. 1. lib. 4. c. 9. n. 109. Caillet. in conclus. 5. n. 9. quem sequitur Farinac. q. 8. num. 67. & 68. prax. Archiepiscopalis Neapolit. cap. 7. n. 5. ubi etiam addit in sacra congregatione Concilij fuisse declaratum, quod si aliquando seruitium diuinum intermitteretur clericus quoque debet gaudere dicto priuilegio cum etiam dicatur continuo fieri, quod fit pro maiori parte temporis Felyn. in proem. decretal. in verb. rex pacificus num. 3. & 4.

In clericis tamen primæ tonsuræ beneficijs carentibus dicendum videretur priuatos esse priuilegio fori eo ipso, quod non incedunt in habitum, & tonsuram iuxta constitutionem Clemen. 7. & Pauli 3. de quibus per Menoch. consil. 912. num. 34. post Vrsill. in addit. ad Afflic. decis. 24. n. 7. & Clar. in praxi crimin. §. ult. q. 36. versic. hæc autem, cum etiam in talibus clericis primæ tonsuræ non requiratur trina monitio, & incorrigibilitas, Nauar. consil. ult. n. 6. de priuil. Menoch. d. consil. 912. n. 34. & de eadem constitutione Clementis meminit etiam Viuius decis. 512. n. 17. ubi quod fuit impetrata per Carolum V. Imperatorem, & promulgata Neapoli per Nuncium Apostolicum Decian. in praxi crim. lib. 4. c. 9. num. 88.

RESOLVT. CCCCLXXXIII.

- 1 Beneficiatus tenetur reficere Ecclesiam de redditibus eiusdem Ecclesiæ.
- 2 Bene-

- 2 Beneficiatus potest ex beneficio deducere in primis ea, quæ sunt necessaria.
- 3 Beneficiatus tenetur ampliari Ecclesiam, quando non capere populum.
- 4 Beneficiatus est usufructuarius, & tenetur rem bene conservare, & ad sacra recta.
- 5 Rector parochialis si non habet redditus sufficientes, tunc parochiani tenentur ad Ecclesiæ reparationem.
- 6 Quando parochialis non habet dotem, tenentur parochiani ad præstandam dotem.
- 7 Clericus non potest renunciare beneficio, ut euitet onera.
- 8 Vasallus non potest renunciare feudo, ne scilicet ad onera domino persoluenda teneatur.
- 9 Parochiani tenentur ad congruam sustentationem parochi.

An beneficiatus teneatur ad manutenendum oleum in lampadibus suæ Ecclesiæ.

- T**Rita, & indubitabilis est iuris conclusio, beneficiatos teneri Ecclesias reficere de redditibus tamen earundem Ecclesiarum, non autem de proprijs cap. si Monachus 16. quæst. 1. Concil. Trident. sels. 21. cap. 7. §. parochiales verò de reformat. dict. capitul. 1. & ibi Hostien. per totum, & Abb. numer. 1. & 3. de Ecclef. adif. Hostien. in dict. capitul. fin. numer. 1. de his quæ fiunt à maio. par. cap. Gemin. in dict. capit. si propter. col. 2. de rescript. in 6. Lambert. dict. artic. 2. num. 7. verfic. aut sumus Barbat. dict. consilio 26. num. 3. Bero. dict. consil. 1. num. 7. de consuetud. quia cum habeant commodum illius Ecclesiæ, etiam onus sentire debent, deductis sibi prius necessarijs Abb. in dict. cap. 1. num. 3. & consil. 70. n. 2. par. 1. Ripa dict. consil. 1. num. 7. item tenetur beneficiatus ampliari Ecclesiam, quando ita populus excreuit, vt non possit capere in Ecclesia cap. præcipimus 16. quæst. 1. Rip. dict. consil. 1. num. 10. præterea clerici dum viuunt æquiparantur usufructuarijs not. in capit. præsent. de offic. ordin. in 6. capit. requisiti de testam. capit. fin. de pecul. Cler. Abb. in dict. cap. 1. nu. 2. sed usufructuarij tenentur ex fructibus res conservare in bono statu, & ad sacra recta, l. usufructu legato 1. respons. in fin. & §. hæcenus ff. de usufruct. cum ad quem C. eodem glof. 1. in capit. 1. de Ecclef. adif. patet etiam ex definitione usufructus, nam usufructus est ius vtendi, & fruendi rebus alienis, salua rerum substantia l. 1. §. hæcenus ff. de usufruct. sic ergo tenetur beneficiatus ad reparationem Ecclesiæ, & hanc rationem adducit Barbat. in dict. consil. 26. numero 3. vol. 3. quod si beneficiatus non habent ab Ecclesia tot redditus, quibus præstare possint talem reparationem, tunc tenebuntur parochiani, si Ecclesia est parochialis, cum & ipsi parochiani in tali Ecclesia percipiant sacramenta, & quæcunque diuina, Concil. Trident. dicto §. parochiales vero Host. in dict. cap. per totum, & Abb. num. 4. de Ecclef. adif. Lambert. dict. artic. 2. num. 4. verfic. tertius est casus, & nu. 7. verfic. & si isti beneficiati Abb. consil. 70. num. 2. part. 1. Bal. consil. 132. in fin. lib. 1. Bero. dict. consil. 3. num. 43. verfic. quidquid tamen: Sicut dicimus, quod ubi de necessitate est ædificanda Ecclesia propter periculum animarum ex abundantia populi, & non est vnde possit dotari, tenentur parochiani prouidere Rectori de dote, & victu Lamb. de iurepatr. lib. 1. par. 1. quæst. 5. artic. 19. in fin. verfic. aduertendum, & dict. artic. 2. num. 7. & verfic. & si isti beneficiati: & in tantum tenentur parochiani, & etiam clerici beneficiati ad huiusmodi reparationem, quod si aliquis parochianus velit recedere à parochia, vel clericus renunciare beneficio, ut euitet onera, & eorum præstationem, ac ipsius refectionem, non poterit hoc facere Abb. in dict. cap. 1. num. 4. in fin.

dict. cap. vnico, & ibi dd. 10. quæst. 3. Lambert. dict. quæst. 7. articulo 2. numero 7. verfic. & isti beneficiati & artic. 5. num. 2. ubi dicitur de Episcopo volente renunciare Episcopatum, ut euitaret onera, & eorum præstationem idem dicitur de vasallo, qui non potest renunciare feudo, ut ad seruicia Domino non teneatur glof. cum ibi notat. in cap. 1. §. similiter de capit. qui cur. vend. dd. in c. 1. de vasall. qui contra constit. Lotha. Fel. in c. quæ in Ecclesiis num. 78. verfic. 3. fallit & ibi dd. de constit. dicimus etiam quod parochiani tenentur in subsidium vsque ad congruam sustentationem parochi, quia si à parcho ipsis seminantur spiritalia debent parochiani præbere illi temporalia D. Paul. 1. Cor. 6. cap. si Episcopus de offic. ord. in 6. Conc. Trid. sels. 21. cap. 7. de reformat.

R E S O L V T. CCCCLXXXIV.

- 1 Res sita intra fines castri præsumitur allodialis, & libera.
- 2 Quæ sunt intra fines castri, subiecta eius iurisdictioni, non tamen sunt de eius vtili dominio.
- 3 Non potest cogi Baro ad ostendendum titulum sui castri.
- 4 Tenetur quis ostendere titulum suæ possessionis, quando fatetur rem esse alienam.
- 5 Sit intra fines castri, vel ciuitatis, si à nemine possideatur, præsumuntur esse dicti castri.
- 6 Si maior pars rerum sitarum intra fines castri sit feudalis, reliquæ res feudales præsumuntur.

An quicquid est intra fines alicuius parochiæ cedat parcho.

Quæstio hæc dependet ab illa conclusione, vtrum si res aliqua sit sita intra fines alicuius castri, oppidi, aut ciuitatis, præsumatur de dominio directo domini d. castri, oppidi, aut ciuitatis an vero præsumatur allodialis, & libera, & pro resolutione dico, 1. quod præsumitur allodialis, nam quod dicitur dominos terrarum habere suam intentionem fundatam, quoad ea quæ in finibus dictarum terrarum sunt, iuxta cap. si diligenti cum ibi no. extra de præscript. c. fin. de officio Archidiaconi, ibi cum monasterium intra metas sui Archidiaconatus sit situm. Illud verum, quoad iurisdictionem vt omnia contenta intra fines alicuius castri oppidi aut ciuitatis præsumantur esse 2. sub iurisdictione domini dicti castri oppidi, aut ciuitatis, vt notat Oldrad. consil. 176. in fin. Giud. Pap. sing. 661. Ripa in l. 1. num. 16. ff. de acquir. possess. & ibi Socin. senior. num. 25. Afflict. decis. 267. n. 4. Boer. sing. 44. verfic. præsumptio n. 18. non tamen habent fundatam intentionem super dominio directo, neque vtili rerum singularium sitarum intra dictum castrum, oppidum, aut ciuitatem possessionem, ab alio quam à dominio castri, oppidi, aut ciuitatis: quinimo ipsæ res præsumuntur allodiales, vt notat Pan. in cap. si diligenti de præscript. Steph. Bart. consil. 66. transactio, quam anno domini n. 3. verfic. venio ad tertium, & consil. 299. pro faciliiori solutione n. 2. lib. 3. Natta consil. 460. num. 12. Paul. de Castro consil. 169. in causa quam magnificus numero 5. lib. 1. idem Steph. Ber. consil. 15. li. 2. Ant. Gabr. de præsumptio. conclus. 9. Couar. in reg. peccatum par. 2. §. nono num. 8. de reg. iurisdictionis in 6. nouissime Jacob. Menoch. de præsumpt. lib. 3. præsumpt. 100. per totum, ubi hanc esse communem opinionem dicit, & ante eum Ludou. à Peguer. in repet. c. item ne super laudemio præludio. 1. num. 5. & 6. quod etiam procedit in principe quoad res intra fines regni sitas, & per priuatos possessas, vt notat Hostien. in d. cap. nimis de iur. & ibi Abb. Ioan. And. in c. fin. de iudi. Ant. Gab. in d. conclusione nona num. 5. & nobilis Ludouic. à Peguera

Pegura ubi supra, hinc est, quod cum nec Rex habeat fundatam suam intentionem quoad res possessiones per Barones, aut alios intra suum regnum ut eas scilicet teneant ab eo, iure feudi, ut non possit citare Barones, aut quemlibet alium, ut ostendat sibi iura, quae habet in tali castro: quia talis citatio esset nulla, ut notat Bart. in l. i. C. de conduct. & procura. fiska. l. i. 1. & Steph. Ber. d. consil. 299. cum nemo titulum suae possessionis ostendere cogatur. l. cogi. C. de petit. hered. etenim si haberet super dicto dominio directo suam intentionem fundatam, posset cogere d. Baronem ad dictum titulum ostendendum, ita Stephan. Ber. d. consil. 299. num. 1. Bal. in l. i. C. quomodo, & quando iud. Afflict. decif. 265. num. 87. & multi consonantes quos refert Guid. Pap. sing. 55. nam dispositio d. l. cogi limitatur, ut procedat in eo, qui praetendit proprietatem rei, cuius titulum ostendi ab eo postulat, secus autem in eo, qui praetendit titulum suae possessionis ostendere cogitur. c. ordinarij de officio ordinarij lib. 6. notat Ioan. Andr. in addit. Spe. tit. de feud. §. quoniam in principio Afflict. d. decif. 265. num. 87. Marquill. in vfu. magnates versic. sed quare nunquid dominus, ubi iura patriae de praedictis loquentia sic intelligenda esse dicit, quod diximus, dominum Castri, oppidi, aut civitatis non habere intentionem suam fundatam quoad dominium directum, aut utile rerum particularium sitarum intra fines castri, aut civitatis, est verum, si res illae possideantur per aliquem, secus si a nemine possideantur, quia tunc, quoad dictarum rerum proprietatem, dicti castri esse praesumuntur, ita Menoch. in d. praesumpt. 100. per totum, & Ant. Gabr. de praesumpt. conclusionem 9. num. 11. Item si maior pars rerum sitarum intra dictum Castrum, oppidum, vel civitatem teneantur sub dominio directo domini d. Castri, aut civitatis, dominus habet fundatam suam intentionem, adversus omnes alias res sitas intra d. fines oppidi, aut civitatis per alios possessiones, ita Afflict. decif. 167. num. 3. licet in fine contrarium decifum dicat, tamen puto, quod si maior pars dictarum rerum sint feudales, vel emphyteuticarum, quod & cetera praesumantur per tex. in c. i. §. cum autem si de feu. defun. fuerit conten. & expressus in cap. i. in fin. de controuers. inter mal. & foem. ubi hoc tenent glos. Andr. de Iser. Iacob. Aluar. & Affl. no. Nat. consilio 460. num. 6. & nouissimè Menoch. de praesumpt. lib. 3. praesumpt. 101. num. 11. qui multos refert.

RESOLVT. CCCCLXXXV.

- 1 Gratia est nulla non expresso vero beneficij valore.
- 2 Debet exprimi valor non solum beneficij impetrandi, sed etiam impetratorum.
- 3 Quando valor beneficij est affirmatiue expressus debet plenè probari, nec sufficit semiplena probatio.
- 4 Quando valor non est necessario exprimendus, & male exprimitur, gratia est nulla.
- 5 Regula de valore procedit etiam in promissionibus, quae fiunt per legatos extra curiam.
- 6 Regula de valore non comprehendit administratores cappellaniarum, seu Hospitalium.
- 7 Valor debet exprimi non prout antiquus, sed prout tempore expeditionis.
- 8 Valoris probatio fieri debet deductis oneribus.
- 9 In valore beneficij non computantur quotidianae distributiones.
- 10 Valor debet probari attento loco beneficij, non loco gratiae.

Notatu digna super regula de exprimendo vero valore.

1 Gratia est nulla non expresso vero beneficij valore, & gratia exprimentis falsum est subreptitia. Rota in antiquis in decifione. 336. incip. nota secundum opinionem Cappell. Tholof. in decif. 435. Verall. in decif. 25. num. 2. lib. 1. nisi sit in modico non expressus verus valor, ut dicit Menoch. in consil. 316. volum. 2. 4. & non solum beneficij impetrandi, sed aliorum impetratorum debet per impetrantem certus valor exprimi secundum communem valorem. Rota in nouis. in decif. 392. incip. licet impetrans Marcus in decif. Delphinat. 1180. sub numer. 11. vol. 1. imo quando valor beneficij est affirmatiue expressus debet plenè probari nec sufficit semiplena probatio Blanchett. in decif. nouissim. Roman. 381. num. 1. & 2. volum. 1. imò etiam cum pensione exprimendus est Peregrin. decif. nouissim. 185. lib. 3. volum. 3. adeo quod in casibus, quibus valor non est exprimendus, si exprimitur male, gratia est nulla Card. Crescent. in decif. 8. num. 1. de rescript. & hodie etiam in gratia in forma pauperum exprimi debet, Crescent. in decif. 9. de rescriptis Rota diuers. in decif. 32. parte 2. quae quidem regula de exprimendo valore habet locum etiam in promissionibus, quae fiunt per legatos, & extra curiam, ut refert illo praesente, & primum responsale dante, fuisse per Rotam decifum Gomef. in regula de valore quaest. 2. ubi late, & eiusdem decifionis meminit Marcell. Cardinal. Crescent. in decif. 10. titul. de rescript.

Declarata tamen, quod regulariter quis non tenetur exprimere valorem beneficij Rota in antiquis in decifione. 202. incip. nota quod quis, & in dicta decif. 336. incip. nota secundum opinionem, sed si exprimitur debet esse verus, & ita procedunt conclusiones supra allegatae.

Declarata secundo, quod regula de valore non comprehendit administratores Cappellaniarum, siue hospitalium, ut post Ludouic. Gomef. in d. regula quaest. 4. voluit Lancellot. in decif. nouissim. Roman. 182. num. 1. cum sequente. volum. 1.

7 Declara valorem beneficij probari oportere, non ut antiquitus, sed ut est tempore promissionis, & impetrationis, ut post Oldrad. in consil. 58. voluit Verall. in decifione 330. n. 1. lib. 2. Viui. in decif. 70. n. 8.

8 Declara etiam valoris probationem fieri oportere deductis oneribus perpetuis impositis super fructibus beneficij, quia si fieret probatio abique oneribus esset insufficiens Verall. in decifione 328. num. 1. lib. 3. Mohedan. in decifione 148. Cardinal. Crescent. in decifione 2. titul. de probat. Castador. in decifione 19. titul. de praebend. Lancell. in decifione nouissim. Roman. 189. num. 2. volumine primo, ante eos Rota in antiquis in decifione 702. incip. die, quod si Papa idem Lancellot. in decifione 380. in fine parte prima, volumine primo.

9 Declara tertio in valore beneficij non computari quotidianas, & diarias distributiones, & similia ex Petro de Anchar. in clement. vnica num. 42. de concess. praebend. Francisc. Cantucci in decifione nouissim. Roman. 5. numero septimo, volumine secundo, ante eos Rota in antiquis in decifione 407. incip. nota non sufficit, & in decifione 766. incip. quaeritur an conditione eadem Rota in nouis in decifione 134. incip. quando impetratur Verall. in decifione 65. numero tertio, libro primo, & post Petr. Rebuff. in concord. titul. de collat. §. 1. in capitulo distributionem, idem Verall. in decifione 29. numero quarto, & quinto, libro secundo, Marc. Anton. Marfil. Archiepiscop. Salernitan. de Ecclesiasticorum reddituum origin. & iure capitulo vigesimo sexto, numero septimo, par. 3. Ioan.

Ioann. Copus de fructibus libro 4. tit. 3. cap. 4. Marc. in decisione 1180. in fin. vol. 1.

- 10 Declara quarto, valorem probari oportere attentio loco beneficii non in loco gratia Alexand. in consil. 21. volumine secundo, in consil. 37. volumine quinto, Hyeronim. Cevallos pract. opin. com. contra com. quæst. 733.

RESOLVT. CCCCLXXXVI.

- 1 Vbi forma non potest præcisè adimpleri, tunc illa remittitur.
- 2 Quando constitutio inducit nouam formam, & illa de facto non potest obseruari, sufficit quod actus fiat eo modo quo prius poterat.
- 3 Episcopus, quando non adsunt examinatores synodales, vel sunt absentes, vel impediti, potest alios examinatores deputare.
- 4 Episcopus si non deputauit examinatores synodales in casu proposito, & labitur tempus sex mensium, collatio parochialis deuoluitur ad sedem Apostolicam.
- 5 Non dicitur iustum impedimentum, quod ex culpa propria procedit.
- 6 Tempus sex mensium statutum in constitutione Pij V. debet ad vnguem obseruari.

Episcopus si eo tempore quo debet fieri prouisio beneficii parochialis per concursum non adsunt examinatores Synodales an possit nouos deputare absque celebratione synodi.

Si contingat tempore, quo debet fieri prouisio per concursum, quod non adsint examinatores synodales, de quibus loquitur Sac. Conc. Trid. sess. 24. c. 18. de refor. an Episcopus non obitate forma Concilij possit deputare nouos examinatores absque celebratione synodi dicendum quod sic, ut fuit resolutum per Rotam in vna Placentina parochialis de Malpartida 29. Nouem. 1593. coram Litta, nam vbi forma à lege inducta non potest præcisè adimpleri, tunc illa remittitur, Roman. consilio 433. n. 5. cum alijs adductis per Aym. conf. 177. num. 1. & Tiraq. ad leg. Connubial. gl. 6. num. 6. & 32. coram Litta, conf. 81. n. 25. & sequente lib. 1. & conf. 43. num. 36. l. 2. & conf. 30. num. 13. l. 3. Alciat. in l. 1. num. 41. de lib. & posthum. Concilium. n. loquitur præsupposito, quod examinatores Synodales existant, ergo cessante hoc præsupposito cessat eius dispositio. l. mancipia. C. de seru. fugit. & ibi Fulgos. & Salyc. n. 3. Dec. conf. 201. n. 2. Ruin. conf. 83. n. 5. lib. 5.

Præterea bene facit, & illa de facto non potest obseruari, velut quia non adsint personæ, vel qualitates requisitæ, sufficit, quod actus fiat eo modo, quo prius poterat c. quia propter, & ibi Abb. n. 12. de elect. idem Abb. post Io. And. conf. 27. n. 12. lib. 2. & in c. 1. n. 11. de elect. Aym. consil. 16. num. 2.

Quare Episcopus, qui alias absque Synodalibus examinatis non potest perficere examen, occurrere casu, quod dicti examinatores non extant, vel sunt absentes, aut impediti potest per se ipsum examinatores deputare, sicut ante concilium ei permissum erat, ut in capitul. accepimus, & ibi glos. in verbo examinari de etate, & qualitate.

Ex quo inferitur valde notandum, quod si Episcopus examinatores non deputauerit, & interim labatur tempus, intra quod prouisio per concursum fieri debet beneficium ad Sedem Apostolicam deuoluitur, ut fuit tentum in allegata Placentina parochialis neque enim ex sua negligentia debet Episcopus commodum reportare, & negligentibus non subuenitur, sed necessitate rerum impeditis, non in negligentibus sed ex quibus caus. maior. nā cum extra Synodū posset examinato-

Aloys. Ricc. Prax. Pars III.

res deputare, ut dictum est, vel si eos non deputauit possit de negligentia imputari, quia erat in eius potestate Synodum intra sex menses perficere, sequitur, quod impedimentum, quod potuit adhibere diligentia remoueri eum non excuset l. sed & si per Prætores §. hæc clausula ver. sed nec ad eos ff. ex quibus caus. maior. c. quia diuersitatem de concef. præben. ver. & hæc Bart. in l. quibus in prin. & ibi Soc. num. 3. de condit. & dem. Ruyn. conf. 15. num. 1. lib. 4. communem dicit Soc. iun. conf. 76. n. 79. & 80. lib. 1.

Et quamuis in Concilio adsit decretum irritans, tamen illud tanquam accessorium est intelligendum, secundum ea, quæ sunt disposita Put. decif. 309. nu. 2. & sequ. l. 1. Cassad. decif. 10. n. 4. super regulis, & sic nihil facit, quod Episcopus non possit ante celebrationem Synodi prouidere de Ecclesijs parochialibus propter defectum examinerum Synodaliū, quia satis est eum potuisse examinatores deputare, nec iustum dicitur impedimentum, quod ex culpa propria procedit c. 1. de etate, & qual. Gemin. conf. 42. n. 12. & sequ. & conf. 42. n. 1. & ex prædictis colligitur, quod locum sibi vendicat etiam si sex, vel pauciores dies fuerint elapsi post semestre præstitutum ordinarijs ad conferendum Ecclesijs parochiales ex constitutione fel. rec. Pij V. quæ est in ordine 37. quia Rota in d. Placentina parochialis dixit tempus constitutionis ad vnguem obseruari oportere l. scire oportet de excul. tutor. ibi conseq. autem est not. Fel. in c. cum dilect. a. n. 62. de rescript. Curt. iun. conf. 66. n. 4. Ruin. conf. 144. n. 6. l. 4.

RESOLVT. CCCCLXXXVII.

- 1 Capiens possessionem beneficii cum sola supplicatione, literis non expeditis amittit ius in beneficio, & de cetero est inhabilis ad illud obtinendum.
- 2 Allegans captam fuisse possessionem beneficii absque literis, debet illud probare.
- 3 Capiens possessionem nullam, & inualidam, non incurrit penas extraneantis Iulij Tertij.
- 4 Non procedit pena extraneantis Iulij Tertij, quando possessio est capta per procuratorem absque literis sine tamen mandato speciali.
- 5 Mandatum generale non sufficit ad faciendum, quod dominus incidat in penam.
- 6 Non incurritur pena extraneantis, quando non habetur relatio ad supplicationem.

An capiens possessionem beneficii cum sola supplicatione signata literis sue prouisionis non expeditis amittat beneficium.

Capiens possessionem ex sola supplicatione signata, literis sue prouisionis non expeditis, omne ius, quod in beneficio habet amittit, & de cetero ad illud obtinendum inhabilis redditur iuxta constitutionem editam à Iulio Papa 3. de qua mentionem facit Gigas in epit. de intrusis num. 28. Burlat. conf. 393. sub n. 23. Mandos. in regu. de non iudic. iuxta formam supplic. q. 4. num. 2. & esse in viridi obseruantia omnes sciunt, vnde licet antea possessio posset capi vigore solius supplicationis, ut fuit tentum pluries in Rota, per rationes Sarnen. in dict. regul. quæst. 1. & in vna Abulen. coram bo. me. Card. Sanctæ Crucis teste Putreo decif. 229. lib. 2. hodie tamen requiritur expeditio literarum, alioquin ingrediens dicitur intrusus, & nudus detentor, & contra eum fieri potest impetratio, ut fuit tentum in vna Virdunen. parochialis 24. Iun. 1586. coram Gypso, quod locum habet etiam in Episcopis, ut per Modern. de resignat. benefic. lib. 10. q. 1. n. 23.

Declaro primo, nam ut intret dicta constitutio, allegans possessionem beneficii fuisse captam literis non expeditis debet id cōcludenter probare, quia est ma-

X teria

teria obiecta, vt Rota tenuit coram Card. Quiroga in vna canonicatus ciuitatis Castelli 20. Martij 1556. quam habes in manuscript. diuersi. decis. 15.

Secundo declara, vt dicta constitutio non procedat vbi agitur de possessione canonicatus capta non capitulariter per prouisum literis adhuc non expeditis ea ratione, quia talis possessio est nulla, Cassad. decis. 8. de caus. poss. & propriet. Puteus decis. 20. libro 2. ideo illam capiens non incidit in penam d. extravagantis cap. non puto de regulis iur. in 6. & fuit tentum in d. causa ciuitatis Castelli.

Tertio declara, vt non procedat vbi agitur de possessione capta literis non expeditis per procuratorem non habentem speciale mandatum ad capiendam possessionem literis non expeditis, ea ratione, quia mandatum generale non sufficit ad faciendum id, per quod Dominus incidit in penam, Rota decis. 7. vt lite pend. in nouis, & fuit dictum in eadem canonicatus ciuitatis Castelli.

Quarto notabiliter declara non procedere quando ex instrumento adeptę possessionis non constat fuisse in adeptione habitam relationem ad supplicationem, & potuisse capi ex alio titulo propter multiplicationem, quę datur in beneficiis, adnot. per Fely. in cap. in nostra num. 2. de rescript. tunc etiam dicta constitutio non intrat, vt fuit resolutum in vna Placentina Cappellanię 21. Maij 1601. coram Card. Pamphilio, vbi contra petentem manutentionem fiebat similis obiectio, & fuit responsum, vt supra, & ita fuit euitata dicta constitutio, quę vti exorbitans strictę venit intelligenda iuxta decis. Paleot. 16.

RESOLVT. CCCCLXXXVIII.

- 1 Dispositio cap. avaritię de elect. lib. 6. extenditur etiam ad presentatos.
- 2 Procedit etiam dicta dispositio cap. avaritię in beneficiis simplicibus.
- 3 Ampliatur dictum capitul. avaritię, etiam si institutio sit nulla.
- 5 Ignorantia iuris dubij, & ambigui excusat.

De pena clerici ingerentis administrationi beneficij ante confirmationem.

In penam priuationis incidit clericus, qui ante confirmationem se immiscuit administrationi beneficij text. est in cap. avaritię de elect. lib. 6. vbi communiter doctor.

Amplia, idem esse in presentato, qui ante institutionem, administrationi beneficij se ingressit, nam licet tex. in d. cap. avaritię de elect. libro 6. loquatur in electo, & contineat penam priuationis quo casu non videtur extendendus ad presentatum cap. in penis de reg. iur. lib. 6. leg. pręfles, & l. interpretatione ff. de pen. nihilominus, quia decretalis illa est inducta ad reprimendam avaritiam, & temeritatem clericorum, & ad coadiuuandum ius antiquum, tanquam fauorabilis extendi debet, vt habeat locum etiam in presentato, vt ibi not. Gemin. col. 2. vers. nota bene, & Franc. num. 2. & ista est communis opinio Calder. conf. 8. de elect. Lap. alleg. 8. n. 4. qui etiam subdit, ita se habere communem obseruantiam, & ita fuisse pronuntiatum, idem tradit Gem. in d. cap. avaritię col. vlt. vers. sed est dubium Franc. num. 2. versic. item habet locum Roch. de iure patronat. in verbo honorificum q. 39. Lamber. in eodem tract. quęst. 5. princip. in 2. par. lib. 2. artic. 11. Abb. in cap. qualiter n. 4. de elect. Butr. in c. nostris n. 7. eodē tit. hanc quoque sententiam tenet Gabr. conf. 199. num. 3. lib. 1. & eam Rota sepius fuit amplexa, vt testatur Sarnen. de trien. q. 5. vers. postremo num. 23. & adeest decisio

Crescent. 6. de iure patronat. & fuit resolutum in vna Vrgellen. Abbatie 19. Ianuarij 1582. coram Card. Seraphino, & deinde in vna Iuuenacen. beneficij 4. Februarij 1594. coram Cardinale Mantica.

Secundo amplia, vt pena dictę decretalis avaritię locum habeat etiam respectu beneficiorum simplicium. Nam licet Gemin. ibi in fine, & Lamber. d. q. 5. art. 11. dicant illum tex. procedere solum in dignitatibus, & consequenter eum, qui ante confirmationem, seu institutionem se ingerit in simplicibus beneficijs, non priuari ipso iure, sed esse locum d. cap. qualiter de elect. tamen contrarium est verius, quia cum decretalis illa sit fauorabilis, vt dixi, & eadem ratio in simplicibus quoque beneficij locum habeat, diuersum ius constitui non debet leg. illud ff. ad leg. aquil. l. 1. a Titio de verb. oblig. & ita in specie post Archid. in d. c. avaritię col. 1. vers. nullus, & Franc. num. 2. vers. sed certe tenuit Rota in dicta Iuuenacen. beneficij, & probatur ex eo, quod c. qualiter procedit etiam in simplicibus, vt ipse Gem. fatetur, vnde cum sit communis opinio, quod ius antiquum d. c. qualiter, sit adiuuatum, & ampliatum non correctum per d. cap. avaritię, atque in omnibus casibus, in quibus olim necessaria erat sententia hodie illa sit superflua, vt notant Card. & Abb. in d. c. qualiter n. 4. Butr. in d. c. nostri n. 7. & Card. n. 1. de elect. sequitur quod sicut olim d. c. qualiter procedebat in simplicibus, ita procedat hodie d. c. avaritię, & ita tentum apud Crescer. d. decis. 6. de iure patronat. & consuluit Gabr. dict. conf. 199. n. 4. lib. 1.

Tertio amplia vt d. cap. avaritię procedat etiam si institutio fuerit nulla ex defectu iurisdictionis, quia talis institutio non excusat presentatum, qui se ingerit administrationi, quamuis incidat in penam dictę decretalis Card. conf. 31. n. 6. cum seq. Rom. consil. 330. n. 21. cum seq. Peregr. decis. 11. lib. 1. & tenuit Rota in dicta causa Iuuenacen. beneficij, ex quibus apparet dictum Mill. in suo repertor. in verb. pena decretalis avaritię, vbi vult dictum c. non procedere quando quis nulliter est institutus, non esse verum, quia vt respondet Peregr. in d. decis. 11. id non habet locum quando nullitas oritur ex defectu iurisdictionis, sed citationis, quod sentit etiam Gabr. d. conf. 199. n. 5. qui loquitur de institutione facta a cap. quod non apparet habuisse ius instituendi.

Illud tamen est aduertendum, quod clericus excusatur a pena dictę decretalis ex errore iuris ambigui, & obscuri, vbi talis error sit probabilis, & sic tenuit Rota in vna Casal. parochialis 30. Maij 1586. coram Robulterio, & in eadem causa 5. Nouembris 1595. coram Card. Seraphino, vbi clericus presentatus fuerat ad parochialem, & fuerat examinatus ab examinatore, & facta fuerat relatio quoad scientiam tantum, & non quo ad mores, & etatem, vt requiritur a Sacro Conc. Trid. sess. 24. c. 18. & Episcopus eum instituerat, sicque post institutionem se ingresserat administrationi, dubitatum fuit, ex quo institutio erat nulla ob non seruata formam dicti Concilij, ipse incidisset in penam d. c. avaritię, & fuit resolutum, quod non quia potuit credere se fuisse ab examinatore approbatum in omnibus, ex quo ordinarius eum instituerat.

RESOLVT. CCCCLXXXIX.

- 1 Ius patronatus ex fundatione, & dotatione queritur.
- 2 Ius patronatus non spectat ad laicos, nisi ex gratia, & dispensatione.
- 3 Episcopus non potest nouum onus beneficio imponere.

(643)

An

An Episcopus beneficium iuris patronatus ad suam liberam collationem deuolutum possit iterum in seruitutem patronatus subijcere alicui laico concedendo absq; assensu Apostolico.

Pro parte negatiua faciebant sequentia, primo, quia ius patronatus ex fundatione, & dotatione quaeritur, glos. in cap. pia mentis 16. qu. 1. Bellam. in decis. 712. Franc. March. in decis. 275. & in casu proposito nulla istoria adest, ex quo laicus, cui fuerat concessum nihil egit; addebatur, ius patronatum ad laicos de iure communi non spectare, nisi ex mera dispensatione, Rota in decis. 556. in antiq. & in decis. 404. & in nouis unde generalis dispositio, non comprehendit ius patronatus laicorum, Puteus in decis. 308. item pro eadem opinione faciebat Episcopus non posse nouum onus in beneficio imponere, ut probatur expresse in c. scientes, & c. innouamus de censibus, & ita refert fuisse per sacram Congregationem declaratum Caler. in eius Margarita casuum conscientiae verb. beneficium.

RESOLVT. CCCCXC.

- 1 Ecclesia debet edificari cum consensu praelati.
- 2 In aliena parochia, etiam si consensus praelati accedat parochi consensus requiritur.
- 3 Ecclesiae reparatio Episcopi consensum non requirit, secus si esset in totum diruta, ut num. 6.
- 4 Iudaeis est licitum reaedificare synagogas combustas, vel in totum destructas absque licentia Episcopi si remaneat solum Area.
- 5 Prohibitus edificare castra, non prohibetur reficere.
- 6 Castrum funditus destructum dicitur nouum, si reaedificetur.

An licentia Ordinarii, quae requiritur in Ereptione Cappellae, seu Oratorii sit quoque necessaria si fuerit destructa, & est reaedificanda.

In aedificanda Ecclesia requiritur praelati inferioris consensus arg. cap. 1. cum simil. extra de religiof. dom. §. sancimus auth. ut null. Fabric. orat. Guid. Pap. in decis. 360. Rota diuers. in decisio. 52. numero 4. volum. 2. Reusner. in decisio. 1. numero 32. lib. 4. Cathedralis autem requirit Papae consensum, & non Episcopi Faber. in §. Religiosum institut. de rerum diuis. Franc. Marc. in decis. 1009. num. 4. vol. 1. sed si in Parochia esset Ecclesia, & vellet alia edificari, & si accederet Episcopi, aut Praelati consensus id fieri nequit absque parochi etiam consensu, ne iuribus sac. parochialis Ecclesiae prauiudicium fiat, ut argumen. cap. dilectus de appell. Monach. & aliorum iurium. voluit Guid. Papae in decis. Gratianop. 361. Crescent. in decis. 1. num. 2. de oper. noui nunc. dicens praestari cautionem de demolendo, & quod interim non consecratur pendente lite, adde Francisc. Marc. in decis. 1014. num. 3. volum. 1. licet in reparatione Ecclesiae

3 Episcopi, vel praelati consensus non requiratur glos. in cap. de Monachis 18. quaest. 2. ubi allegat text. in cap. si quis vult 16. quem sequitur Reusner. d. decis. 1. sub numero 32. lib. 4. quando Cappella non est funditus destructa, vel alias materia penitus abolita, & sic intelligendus est Ang. in Auth. de non alienand. §. hoc ita ad finem collat. 2. quem citat Benedic. de Vadis in addit. ad Felynum in repet. in verbo synagoga, ubi dicit posse concludi, quod Iudaeis sit licitum reaedificare synagogas combustas, vel in totum destructas absque licentia Episcopi cum remaneat solum, & Area quasi remanentibus vestigijs prioris aedificij res non dicatur noua, quamuis esset in totum, & funditus

Aloys. Ricc. Prax. Pars III.

destructa Decius in l. domum suam numero 3. de regul. iur. unde etiam prohibitus edificare castra non prohibetur reficere Bald. & Angel. in l. 1. §. edificare de mort. inferendo, quos citat Fely. in cap. cum accessissent num. 33. de constit. cum alijs per Boer. in d. decis. 44. num. 4. Iaf. in l. ex hoc iure num. 17. ff. de iustitia, & iure, ubi quod licitum est reficere muros fortalitij, seu villae absque licentia superioris, glossa, & Bart. in l. sacra loca 1. §. muros de rerum diuisione, & illud quod diximus, ut in reparatione Ecclesiae non requiratur Ordinarii licentia non procedit quando cappella fuerit funditus destructa, nam tunc requiritur licentia Ordinarii ex eo, quod quando castrum est in totum, & funditus destructum, vel alias materia penitus abolita, tunc dicitur castrum nouum si reaedificaretur, ideo non licebit illud reaedificare, absque Ordinarii licentia, & taliter aedificanti potest nunciari nouum opus, quoniam resectio antiquam non sustinet, sed cappellam nouam facit Boer. in decisio. 44. numero 5. ubi complures allegat attestando sic fuisse decisum contra Dominum, qui volebat in Area Castrum edificare Alber. qui ita etiam attestatur in l. 1. §. si quis aedificium ff. de nou. oper. nunciat. & in leg. inter stipulantem §. sacram de verb. obligat. Fely. in cap. consuluit in 2. notab. de iudaeis, & in cap. cum accessissent colum. pen. in princip. verbi haec, & similia limita num. 33. de constit. Iaf. in leg. 1. §. si quis aedificium de noui oper. nunciat. & in leg. quominus col. pen. num. 181. de Flumin. ubi per plura in simili adducit.

PRAXIS VARIARVM CRIMINALIVM.

RESOLVT. CCCCXCI.

- 1 Accusatione pendente non potest quis ad officium promoueri.
- 2 Accusatus de aliquo crimine ob calumniam ita ut apud probos viros non sit diffamatus, non impeditur a promotione.
- 3 Stante mala fama accusatoris, reijci debet accusatio calumniosa.
- 4 Infamia canonica aboletur per poenitentiam, vel purificationem canonicam.
- 5 Infamia facti tollitur per factum contrarium.
- 6 Infamia iuris tollitur abolitione criminis.

Accusatus de aliquo crimine an possit interim obtinere beneficium.

VT regulariter accusatus, seu denunciatus de aliquo crimine non possit promoueri ad officium, vel dignitatem denunciatione, seu accusatione pendente habetur in leg. reus ff. de muner. & honor. cap. omnipotens Deus, ubi omnes de accusat. Fely. Rom. Selu. Nauar. & alij quos probant Garz. cap. 8. num. 6. & seq. Azor. libro 6. cap. 7. num. 94. & alij infra citandi, nam dicitur eius fama in aliquo diminuta, donec appareat veritas rei, & proinde non debet interim promoueri.

2 Attamen si per calumniam, vel aliam causam iniquam esset aliquis accusatus, siue denunciatus de aliquo crimine, de quo non esset diffamatus apud bonos, & graues homines accusatio, siue denunciatio non impedit promotionem, quia dicitur facta dolose, & per calumniam, ita Hostien. Io. Andreas, & alij in cap. meminimus de accusation. Rom. Selu. Nauar. Rodriguez. & alij quos sequitur Garz. d. cap. 8. num. 7. & seq. idem Rodriguez tom. 2. questio. regular. q. 51. art. 11. ad primum conf. & q. 56. art. 1. Nauar. lib. 5. consiliorum tit. de accusation. conf. 2. & alij plures, itaque cauti debent esse electores, & iudices

X 2 bene